An. et vol. XXXII — 6 Augusti 1940 — (Ser. II, v. VII) - Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Epistula Apostolica, p. 289 - Constitutio Apostolica, p. 296 - Epistulae, p. 298.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: I. Provisio Ecclesiarum, p. 301. II. Designatio, p. 302 - *S. C. pro Ecclesia Orientali*: I. Responsum, p. 303. II. Designationes, p. 303 - *S. C. de disciplina sacramentorum*: Normae, p. 304 - *S. C. de Propaganda Fide*: Provisio Ecclesiarum, p. 308 - *S. C. Rituum*: I. Decretum confirmationis cultus B. Hemmae, viduae, p. 309. II. Decretum de Festo S. Ioannis Leonardi, C., p. 311.

Acta Officiorum: *Pont. Commissio ad codicis canones authentice interpretandos*: Responsa de competentia, p. 317.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, pp. 319-336.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XL

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 35 — extra Italiam, *L. it.* 55 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4 — extra Italiam, *L. it.* 4,50

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXII, n. 9 - 6 Augusti 1940)

ACTA PII PP. XII

EPISTULA APOSTOLICA

PAG.

Nosti profecto. – Ad dilectum filium Wlodimirum Ledóchowski, Praepositum Generalem Societatis Iesu: quarto exeunte saeculo ab eadem Societate condita. – *6 Iulii 1940* 289

CONSTITUTIO APOSTOLICA

Allahabadensis (De Jhansi). – A Dioecesis Allahabadensis territorio pars seiungitur, ex qua nova erigitur Praefectura Apostolica de « Jhansi ». – *12 Ianuarii 1940* 296

EPISTULAE

I. *Prima sacerdotii gaudia.* – Ad Emum P. D. Carolum tit. Sancti Laurentii in Lucina S. R. E. Presb. Cardinalem Cremonesi, dena sacerdotii lustra feliciter explentem. – *23 Maii 1940* 298

II. Ad Emos PP. DD. Cardinales atque Excmos DD. Archiepiscopos et Episcopos Galliae. – *29 Iunii 1940* . . 299

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. Provisio Ecclesiarum 301

II. Designatio Ordinarii pro appellatione . 302

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

I. Responsum. De dignitatibus a Praelatis ritus orientalis sacerdotibus alieni ritus concessis. – *11 Iunii 1940* . . . 303

II. Designationes pro appellatione . . . 303

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

PAG.

Normae pro exsequendis Litteris Apostolicis « Qua cura » die 8 Dec. 1938 Motu Proprio datis. – *10 Iulii 1940* . . . 304

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Provisio Ecclesiarum 308

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Gurcen.* – Decretum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Beatae Hemmae, Comitissae et Viduae, Sanctae nuncupatae, fundatrici Ecclesiae Gurcensis. – *5 Ianuarii 1938* 309

II. *Urbis et Orbis.* – Festum Sancti Ioannis Leonardi, Confessoris, ad universam Ecclesiam extenditur, cum Officio et Missa sub ritu duplici minori celebrandum. – *3 Aprilis 1940* . 311

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

Romana et aliarum. – Responsa de competentia. – *8 Iulii 1940* 317

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 319

II. Segreteria di Stato: *Nomine* e *Onorificenze* 319

An. et vol. XXXII 6 Augusti 1940 (Ser. II, v. VII) – Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA APOSTOLICA

AD DILECTUM FILIUM WLODIMIRUM LEDÓCHOWSKI, PRAEPOSITUM GENERALEM SOCIETATIS IESU : QUARTO EXEUNTE SAECULO AB EADEM SOCIETATE CONDITA.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Nosti profecto quantopere Nobis cordi sit quantaeque aestimationi Ignatiana familia, quam tu per quinque iam lustra sedulo prudenterque moderaris; haud miraberis igitur si, quadrigentis revolutis annis ex quo Decessor Noster im. rec. Paulus III per Apostolicas Litteras *Regimini militantis Ecclesiae* Societatem Iesu apostolica auctoritate probavit riteque constituit, saecularia sollemnia vestra vestramque laetitiam participare cupimus. Quae quidem laetitia, quamvis in praesens tot aerumnosis trepidisque rebus quasi tristitiae caligine obtendi videatur, aeque tamen gaudium est universae Ecclesiae, de qua religiosa sodalitas vestra per diuturnum hoc temporis spatium innumeris egregie factis optime meruit. Ac libet hodie haec eadem egregie gesta, non modo ad Nostrum vestrumque solacium, summatim breviterque memoria repetere, sed idcirco etiam ut vos omnes, grato ea reputantes animo, quae Providentissimus Deus per maiores vestros ac per vos, quattuor hisce volventibus saeculis, praeclara edidit facinora, et immortales eidem caelesti Numini referatis grates, et fidentes una simul inde sumatis auspicium ulterius usque indefatigatis viribus progrediendi ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem.

Difficillima procul dubio fuere tempora, in quae legifer incidit Pater vester. Etenim ex una parte acerrimum ethnicorum sapientiae studium

eorumque civilis cultus ita inflammabat excitabatque animos, ut saepenumero christiana praecepta vel utpote inferius quiddam fastidio haberentur, vel, ad humanae mentis lumen redacta, prorsus corrumperentur; atque adeo multorum mores, eorum etiam interdum, quos ceteris oportebat exemplo esse, remissi ac debilitati iacebant, ac vel etiam, proh dolor, abnormes ac pessumdati profligabantur. Nihil igitur mirum si ingruens a septentrionibus Novatorum procella ipsos Ecclesiae cardines concutere ac diffringere visa est. Nihil mirum, si debita ecclesiasticae auctoritati ac vel ipsi Romano Pontifici obtemperatione abrupta, tam multae gentes nationesque, a catholica unitate abscissae, per devia itinera infeliciter aberrarunt.

Ex altera vero, dum gravissimae eiusmodi mentium rerumque perturbationes sollicitos et anxios bonorum omnium tenebant animos, ac sacrorum administrorum vires debilitare videbantur, novus iisdem atque arduus patuit apostolici laboris campus. Amplissimis enim in orientis et occidentis partibus repertis terris, innumeri, qui inibi incolebant, populi divina a Iesu Christi tradita indigebant veritate, divinaeque gratiae munus opperiebantur.

At in summo illo discrimine res apparuit prorsus miranda, qua Christus ipsemet visus est et castissimam Sponsam suam ab internis externisque periculis servare incolumem, et spiritualem eidem impertire uberrimamque fecunditatem. Quasi enim vere novo in Ecclesiae viridario excitato, pulcherrimi sanctitudinis flores emergunt, dehiscunt, suavissimumque odorem redolent. Homines ac mulieres, christiana virtute praestantes, exundanti impietatis colluvioni invicta repagula opponunt, sollertem catholicae dilatandae fidei navant operam, atque aberrantes populos qua incensissimis concionibus habitis, qua scriptis sapientia refertis, qua suae denique sanctimoniae exemplo, e transversis falsitatis semitis abstrahunt, et ad rectum iter feliciter reducunt.

Iamvero omnibus compertum est hoc in sanctorum virorum numero, qui sicut « stella a stella » ita « differunt in claritate »,[1] Ignatium Loyoleum praeclarissimum obtinuisse locum, ab eodemque conditam Societatem in hisce exatlandis laboribus magnas sibi tribuisse partes. Idque iure meritoque. Etenim, ut proximi fel. rec. Decessoris Nostri verbis utamur, « testis historia est... orbem catholicum, peropportuno per Ignatium subsidio communitum, celeriter respirare coepisse, cum facile non sit commemorare, quae et quanta in omni genere Societas Iesu, Ignatio auctore et duce, pro Dei gloria gesserit. Cerneres im-

[1] Cf. I Cor., XV, 41.

pigros sodales contumaciam haereticorum victores retundere, emendationi corruptorum morum ubique studere; collabefactam clericorum disciplinam restituere: ad ipsum christianae perfectionis culmen complures perducere; praeterea multos esse in iuventute ad pietatem instituenda bonisque artibus erudienda, nimirum in spem christianae vere posteritatis; interim vero infidelibus ad fidem traducendis egregiam dare operam, ut imperium Iesu Christi novis accessionibus propagarent ». [2]

Quamobrem non modo asseverari potest Deum ipsum, sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita novis illius aetatis erroribus Ignatium et institutam ab eo Societatem obiecisse, sed per quattuor etiam horum saeculorum decursum innumeram legiferi Patris vestri subolem novis insurgentibus fallaciis invicto obstitisse animo, emergentibus Ecclesiae necessitatibus validum praestitisse auxilium, et saluberrimos omne genus edidisse fructus. Quos quidem uberes salutis fructus cupimus heic, vobis gratulantes, presse breviterque recolere.

Imprimisque summis libet exornare laudibus Ignatianae asceseos disciplinam, quae in moderandis conformandisque animis eo potissimum spectat, ut sit « omnia et in omnibus Christus », [3] atque adeo omnia ad maiorem Dei gloriam, veluti ad supremum finem, unice dirigat. Quae quidem asceseos disciplina tum sodalibus vestris, tum quibusvis hominibus, quorum cordi propria sit salus, per invectum opportune morem Spiritualium Exercitiorum potissimum proponitur, ad normam aurei illius libelli ab Ignatio conscripti, quem merito Decessor noster im. mem. Benedictus XIV in Apostolicis Litteris *Quantum secessus* prorsus *admirabilem* appellat. Enimvero quot homines, qui, vel mortalis huius vitae rebus rationibusque distenti, coelestia neglexerant, vel misere etiam voluptatum cupidinumque illecebris deleniti, in vitiorum se volutabrum ingurgitaverant, cum tandem aliquando in spiritualem recessum perrexissent, ibique, se paulisper saltem recolligentes, demersas in terram cogitationes ad superna traduxissent, tum et rectum conscientiae suae ordinem, et optatam suorum admissorum veniam, et gratiam serenamque pacem adepti sunt! Siquidem ubi ab externis negotiis liberi, in aula mentis possumus divinae vacare sapientiae, ubi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis et in deliciis laetamur aeternis, facile illius sententiae veritatem experimur, nihil nempe prodesse homini « si mundum universum lucretur, animae vero suae detri-

[2] Epist. Apost. *Meditantibus Nobis*, *A. A. S.*, 1922, p. 630.

[3] Col., III, 11.

mentum patiatur »;[4] itemque luculentissime tum patet ea omnia, quae vel ab sempiterna nos avertant beatitate, vel ad eam assequendam non conferant « vanitatem esse et afflictionem spiritus ».[5] Merito igitur proximus Decessor Noster Pius XI in Encyclicis Litteris *Mens Nostra*[6] asseveravit « in spiritualibus exercitationibus singulare aeternae salutis praesidium positum esse atque constitutum »; et cum peculiaris via ac ratio, hac in re ab Ignatio Loyoleo proposita, tantopere excellat, eum ipsum per Apostolicas Litteras *Summorum Pontificum,*[7] sacrorum Antistitum votis obsecundans, omnium Exercitiorum Spiritualium Patronum caelestem constituit ac declaravit.

Quamobrem Ignatianae familiae sodales institutum eiusmodi sibi habeant carissimum, impensa voluntate summaque diligentia statis diebus amplectantur, ac veluti religiosi sui Ordinis incunabula respiciant; quandoquidem, ut pie traditur, cum legifer eorum Pater in Manresae specu, procul a coetu hominum rerumque tumultu, precando meditandoque umbratilem vitam ageret, eius menti, caelesti collustratae lumine, Societas Iesu quasi sacra militia primitus illuxit.

Ac non modo ipsimet sodales, ad suam ipsorum perfectionem assequendam, in hac spiritualis vitae palaestra sedulo studioseque se exerceant, sed etiam atque etiam accurent, quod ceteroquin non praetermittunt, ut quam plurimi tum ex cleri ordine, tum ex laicorum hominum cuiusvis classis agminibus, Exercitiorum domos, quae volentibus ubique pateant, pie religioseque celebrent.

At aliud etiam in causa est cur apud vos, hac opportunitate data, gratulemur admodum, vosque paterno adhortemur animo. Novimus siquidem Societatem vestram, inde ab originibus, totam fuisse cum in germana catholicae fidei integritate adversus quaslibet errorum fallacias viribus omnibus tutanda, tum in sanctissimis Ecclesiae Romanorumque Pontificum vindicandis iuribus, tum denique in christiana religione per apostolicos divini verbi satores usquequaque gentium propaganda. Quas ad singulas res, qui annales vestros vel celerrima manu pervolverit, tot is praeclara invenerit facinora, quae non modo in Ordinis vestri, sed in catholicae etiam Ecclesiae fastis, aureis inscribi litteris digna videantur.

Atque heic menti Nostrae illorum succurrunt sanctissimorum virorum nomina, qui, ut Petrus Canisius et Robertus Bellarminus, uterque Eccle-

[4] Matth., XVI, 26.
[5] Cf. Eccle. II, 17.
[6] *A. A. S.*, 1929, p. 691.
[7] *A. A. S.*, 1922, p. 420.

siae Doctor a proximo Decessore Nostro renuntiatus, catholicae doctrinae infitiatores eloquio scriptisque sapientissimis convicerunt, et eandem doctrinam, gravissima elucubrando volumina, summopere illustrarunt; qui etiam, ut Petrus Claver, ut Ioannes Franciscus Regis, ut Franciscus de Hieronymo incensissimo studio laboreque indefatigabili innumeros paene homines, sive christianis praeceptis excultos divinoque lavacro expiatos, ad Iesu Christi ovile traduxerunt, sive ad vitam catholicae fidei magis consentaneam revocarunt; qui denique, ut Franciscus Borgia et Iosephus Pignatelli, Religiosae Familiae vestrae gubernacula tractantes, impigros huiusmodi evangelicos operarios fortesque Christi milites studiose sapienterque instituere, conformare ac regere et divinae caritatis igne inflammare non destiterunt. Sed dissitas quoque gentes — quas quidem magnus Ignatii animus, prima novi Ordinis lineamenta ponens, apostolico studio amplexus erat — in ipsis Societatis vestrae primordiis, ex Pauli III Decessoris Nostri mandato, suavissimo Christi Regis imperio subiugandas suscepit clarissimus ille Ignatii filius Franciscus Xaverius, quem Summi Pontifices Decessores Nostri Indiarum apostolum eundemque Missionum omnium Patronum edixerunt, quemque non intermisso agmine tot ex eadem Societate vestra secuti sunt et in praesens sequuntur evangelicae veritatis praecones, in sacris expeditionibus ubique sollerterque elaborantes. Nec martyrum cohortes bene multae defuere, qui religionis omni ope provehendae tutandaeque causa multis exantlatis laboribus, ob Iesu Christi fidem fere ubique gentium suum etiam generoso animo sanguinem profunderent.

Quodsi religiosam Societatem vestram divini Redemptoris Ecclesiaeque inimici peculiari odio simultateque insectati sunt, id non dedecori, sed summae potius laudi vobis est tribuendum; quicumque enim Christum Dominum fidelitate maxima actuosoque amore sequitur, eum in invidiam exsecrationemque pravorum hominum venire quodammodo necesse est. Hoc enim ipse Servator noster suis iam Apostolis praedixit: « ... Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum » [8] « Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus ». [9] In insectationibus igitur omne genus, in insimulationibus et calumniis, ne concidatis animo; sed illius sententiae memores « Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum », [10] sanctissima incepta vestra alacri voluntate prosequamini, sum-

[8] Matth., XXIV, 9.

[9] Ioan., XV, 19.

[10] Matth., V, 10.

mopere Apostolorum more gaudentes « quoniam digni habiti estis pro nomine Iesu contumeliam pati ». [11]

Heic praeterea eximia illa promerita silentio praeterire nolumus, quae Societas vestra per quattuor revoluta saecula sibi peperit in iuventute recte docteque educanda. Nostis profecto quantae hoc gravitatis sit opus; nostis reipublicae sortem non modo, sed Ecclesiae etiam a scholarum fortunis ac disciplina pendere quam maxime, quandoquidem non alii plerumque cives erunt, non alii christifideles, quam quos iuvenilis institutio conformaverit. Meritas igitur vobis tribuimus laudes quod, fere innumeris apertis litterarum studiorumque domiciliis, mollem flexibilemque adulescentiam ita doctrina excolitis virtuteque effingitis, ut eadem christianae vitae formam ad vivum exprimat, atque adeo iubeat optime de se sperare in posterum. Cui quidem adulescentiae, laudabili sane consilio, sanctissimorum iuvenum exempla ad intuendum imitandumque proponitis: qui, ut Aloysius Gonzaga, ut Ioannes Berchmans, ut Stanislaus Kostka, virgineum integritatis suae lilium, veluti poenitentiae spinis intersaeptum, candidum illibatumque servarunt.

Neque adolescentis dumtaxat aetatis educationi prospicitis, sed, ut legifer Pater vester, advenientis temporis necessitatum praesagus, in Constitutionibus commendaverat, altiorum etiam multis in locis conditis disciplinarum sedibus studiorumque Universitatibus, et clerum in spem Ecclesiae rite sancteque instituitis — quemadmodum in hac alma Urbe ob oculos fere Nostros in Pontificia Universitate Gregoriana in eique consociatis Institutis egregie praestatis — et cuiusvis ordinis cives ad futura capessenda privatae publicaeque vitae munia recte diligenterque comparatis. Cui quidem educationi validum praebent adiumentum illae pietatis et christiani apostolatus palaestrae, quae Sodalitates Marianae audiunt, et quas Christi Ecclesia quasi selectas auxiliares copias, in pacificam aciem sub Mariae Virginis vexillo ordinatas, semper praesto habet. Pergite igitur sanctissima haec incepta alacritate, qua soletis, urgere; nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior. Dum enim alicubi iuvenes ludos scholasque celebrant, in quibus error, fucatus veritatis specie, animos illaqueat, impietatisque afflatus misere corrumpit mores, omni ope enitendum est ut sanae institutionis optimorumque studiorum domicilia ullis locis ne desint, ubi non modo solidae doctrinae sed christianae etiam virtutis magisteria audientium mentibus praeluceant.

Ac cetera quoque religionis, caritatis pietatisque opera persequi ac

[11] Cf. Act., V, 41.

provehere ne desistatis. Decessores vestri omnibus in rebus omnibusque in disciplinis praeclarissima vobis reliquere exempla. Eorum igitur vestigiis volentes enitentesque insistite; atque eorum virtus vitaeque sanctitas ad maiora usque suscipienda vel promovenda vos excitent atque compellant.

Nova, quibus vivimus, tempora, nova utique postulant, in spiritualibus etiam rebus, incepta, opera atque praesidia, quibus immutatis ac succrescentibus aetatis huius nostrae necessitatibus opportune occurratur. Haec vos, pro vestro navitatis ardore, ne neglegatis; eoque enixe contendite, ut quae omnia adultum saeculum invexerit, ea ad Iesu Christi Regnum, domi firmandum forisque dilatandum, satius aptiusque conferant. Attamen Institutum vestrum, Nobis vobisque carissimum, idem perpetuo esto; idem regimen, quo solidatur; idem, quo alitur, spiritus; idem denique incensissimum obedientiae observantiaeque studium, quo mordicus tenaciterque Apostolicae huic Sedi devincimini. Hoc ceteroquin Nostra non indiget adhortatione, cum iam Decessor Noster im. me. Pius XI Societatem Iesu Apostolicis Litteris *Paterna caritas* [12] sartam tectam voluerit, iterumque auctoritate sua firmaverit, cumque peculiare sit religiosi Ordinis vestri insigne, ac veluti sacra hereditas a maioribus tradita, res vestras incolumes sibique constantes omni ope servare, et ad meliora usque promovere.

Haec omnia, quae laudis vestrae potius quam hortamenti causa tibi, dilecte fili, per has litteras scripsimus, ut feliciore cotidie modo effecta dentur, caelestia vobis auxilia enixe a Deo precamur. Vobis adsint e caelo, hac potissimum in rerum faustitate, cum legifer Pater vester, suae gratulatus suboli, tum innumeri illi sanctissimi viri, qui Ignatianam Societatem virtute ac sapientia tantopere illustrarunt; iidemque a Sacratissimo Corde Iesu, cuius vos religionem pietatemque in quovis civium ordine laudabili sedulitate — praesertim per *Apostolatum Orationis,* quem vocant — excitandam provehendamque curatis, uberrime divinam gratiam vobis concilient, uberrimosque sanctitatis et apostolatus fructus.

Quos quidem sanctitatis fructus ut Nos, de Ecclesiae thesauro aliquid dilargiendo, adaugeamus, concedimus perlibenter ut die XXVII proximi mensis Septembris — in quem diem saecularia incidunt sollemnia vestra — vel alio die, quo Religiosae Familiae vestrae moderatores maluerint eadem sollemnia celebrare, singuli Ordinis vestri sodales omnesque christifideles, qui rite confessi et Eucharistico pabulo enutriti,

[12] *A. A. S.*, 1933, p. 245-246.

quamlibet ecclesiam Societatis Iesu, vel eius curae commissam, pie visitaverint et ad mentem oraverint Nostram, plenam admissorum suorum indulgentiam lucrari queant.

Interea vero caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, universisque Societatis Iesu religiosis viris eorumdemque alumnis, Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VI mensis Iulii, Octava Festi Ss. Apostolorum Petri et Pauli, anno MDCCCCXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

ALLAHABADENSIS
(DE JHANSI)

A DIOECESIS ALLAHABADENSIS TERRITORIO PARS SEIUNGITUR, EX QUA NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE « JHANSI ».

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad evangelicam veritatem latius faciliusque propagandam procul dubio prodesse censetur amplissima quarumdam dioecesium territoria in partes dividere, novasque ecclesiasticas circumscriptiones condere. Quod quidem considerantes, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, ac praehabito favorabili voto venerabilium Fratrum Leonis Kierkels, Archiepiscopi titularis Salaminensis et Delegati Apostolici in Indiis Orientalibus, atque Ioseph Angeli Poli Episcopi Allahabadensis dioeceseos, re mature perpensa, e latissimo huius dioeceseos territorio partem seiungere statuimus, et novam ex ea Praefecturam Apostolicam erigere. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, e praefata dioecesi Allahabadensi territorium civiles districtus de *Jhansi, Jalaun, Hamirpur* et *Banda* complectens separamus illudque in novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam; quam de *Jhansi* nuncupandam volumus et sollertibus concredimus curis Fratrum Minorum Capulatorum, qui iam

illic ad Evangelium praedicandum adlaborant, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum. Intra autem fines novae huius Praefecturae de Jhansi, qui iidem erunt ac praefatorum districtuum civilium *Jhansi, Jalaun, Hamirpur* et *Banda* fines, illae quoque censeri debent adscriptae parvae circumscriptiones, vulgo *enclaves,* intra ipsorum districtuum limites exstantes, quae tamen ab aliis civilibus circumscriptionibus dependent. Finitima vero territoria quae, ad occidentem versus, exstant trans fines novae Praefecturae Apostolicae de Jhansi, uti supra determinatos, ad archidioecesim Agraensem adnexa haberi decernimus. Huic igitur Praefecturae Apostolicae de Jhansi eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum autem Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent. Nemini vero hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis autem ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo, die duodecima mensis Ianuarii, Pontificatus Nostri anno primo.

Fr. TH. PIUS, O. P., Card. BOGGIANI
Cancellarius S. R. E.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*
Carolus Respighi, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXII, n. 60. – Al. Trussardi.

EPISTULAE

I

AD EM̃UM P. D. CAROLUM TIT. SANCTI LAURENTII IN LUCINA S. R. E. PRESB. CARDINALEM CREMONESI, DENA SACERDOTII LUSTRA FELICITER EXPLENTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Prima sacerdotii gaudia post decem lustra tibi feliciter redintegranti periucunda profecto exstabit conscientia bene actae vitae factorumque egregiorum recordatio. Ex quo enim sacrum munus auspicatus es, nullo non tempore in animarum salutem profectumque, in proximorum caritatem, in peragenda Apostolicae huius Sedis officia summa diligentia atque industria incubuisti. Praeclara sane tua in moribus adulescentium fingendis sollicitudo enituit apud Collegium Urbanum de Propaganda Fide, ubi in flore aetatis humanas litteras docuisti, in Collegio a Sancto Ioseph heic Romae, in quo doctrinae prudentiaeque thesauros ad fovendum alumnorum bonum per novem lustra profudisti. Alia quoque instituta, eaque praecipue, quibus Magistrae Piae Filippiniae moderantur, uberrimos curarum tuarum fructus perceperunt, alii pariter campi animarum studio laboribusque tuis patuerunt, praesertim in ecclesiis Sancti Angeli in Foro Piscario et Sancti Laurentii in Lucina. Atque mature Decessores Nostri virtutes istas perspectas habentes, graviora tibi munera tradiderunt, in primisque negotiorum gestionem, quae ad causas pias fovendas attinent itemque Eleemosynarii Secreti officium ac Sanctuarii Pompeiani praelaturam, quae prudentiam, liberalitatem ceterasque animi tui dotes luculenter confirmaverunt. Tot igitur tamque praeclara merita agnoscens, Decessor Noster veneratae memoriae Pius XI ad amplissimum Ecclesiae Senatum te cooptavit. Nos autem, qui iamdiu curas ac sollicitudines tuas in muneribus tibi traditis obeundis inque Patrum Purpuratorum Consiliis tanti facimus, iucundam hanc opportunitatem nacti, amicorum tibi gratulantium choro praeeuntes, proximam iubilaei istius sacerdotalis faustitatem libenti laetoque animo participamus et felicissima quaeque atque saluberrima a Deo tibi exoptamus. Quo vero sacri eventus celebratio sollemnior evadat, tibi ultro potestatem facimus, ut, statuta die, post Sacrum peractum adstantibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam iisdem indulgentiam proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Supernarum interea gratiarum praenuntia praecipuaeque Nostrae dilectionis testis sit

Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, tuisque coniunctis, amicis laborumque sociis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis Maii, in festo Ss. Corporis Christi, anno MDCCCCXL, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XII

II

AD EMOS PP. DD. CARDINALES ATQUE EXCMOS DD. ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS GALLIAE.

PIUS PP. XII

A Nos chers Fils et Vénérables Frères les Cardinaux, les Archevêques et Evêques de France, salut et Bénédiction Apostolique. — L'expression de dévouement filial que vous Nous faites parvenir au lendemain du désastre sans précédent qui vient de s'abattre sur votre patrie et la prière que vous Nous adressez pour avoir de Nous une parole de réconfort, répondent à Notre vif désir de Nous trouver en ce moment au milieu de vous, très chers Fils et Vénérables Frères, pour vous dire l'écho profond éveillé dans Notre cœur de Père par la calamité qui plonge la France dans le deuil. Certes, ce sentiment de toute paternelle affection qui Nous a permis de partager si souvent, de loin comme de près, la joie de vos fastes religieux, ne Nous permet pas de rester à l'écart au jour de votre malheur, tandis que les larmes coulent à travers la France aussi abondantes que le sang généreux dont sa vaillante jeunesse lui a fait, au cours de cette guerre, un si noble sacrifice.

Nous voici donc avec vous, Pasteurs, prêtres, fidèles, ému de votre sort mais consolé en même temps de retrouver en vous aux jours de l'épreuve, dans toute sa dignité, l'âme catholique de cette France que la prospérité a pu égarer parfois hors de ses plus nobles traditions, mais que le malheur n'a jamais abattue et a si souvent rapprochée de Dieu pour la rendre, plus vigoureuse et consciente, à sa grande mission spirituelle et chrétienne. C'est précisément vers cette mission, qui est son plus beau titre de gloire, que Nous voulons vous inviter à élever vos yeux ainsi que vos meilleures espérances, pour vous rendre plus parfaitement compte qu'en une heure si triste de votre histoire votre rôle providentiel reste dans toute sa valeur. Oui, les malheurs mêmes par lesquels Dieu visite aujourd'hui votre peuple, seront, Nous n'en doutons pas, dans les adorables desseins de sa Providence, la condition propice

d'un plus sûr travail spirituel pour le relèvement de la nation tout entière et pour son plus riche rendement dans la société chrétienne.

N'est-ce pas là la vraie grandeur d'un peuple, aussi bien que de tout homme ayant conscience de sa dignité et de la valeur de la vie? N'est-ce pas dans la douleur qu'il nous est donné à tous de mieux ouvrir les yeux à la Vérité éternelle et de retrouver les chemins de la Sagesse pour notre véritable félicité?

Or Nous n'ignorons pas de quelles ressources spirituelles la France dispose pour entrer dans cette voie et se ressaisir dans son âme, pour faire de son malheur le levier d'une nouvelle ascension spirituelle, qui sera pour elle le gage d'un solide et durable bonheur.

Ces ressources sont si nombreuses et si puissantes, qu'elles n'attendront pas — Nous en sommes sûr — la conclusion de la paix pour se mettre en œuvre et donner au monde le spectacle d'un grand peuple, digne de ses traditions séculaires, qui trouve dans sa Foi et dans sa Charité inlassable la force de faire face à l'adversité et de reprendre sa marche sur le chemin de l'honneur et de la justice chrétienne.

Aussi aimons-Nous à croire que vous tous, chers Pasteurs et prêtres de Jésus-Christ, après avoir tout donné à la patrie dans les horreurs de la guerre, vous presserez maintenant de vous rendre à vos postes et dans la reprise laborieuse de la vie du pays, vous ferez un devoir de vous pencher, comme le bon Samaritain de l'Evangile, sur vos ouailles blessées pour soigner leurs plaies et soulager leurs maux par les moyens sans nombre dont la charité dans votre pays a toujours eu le secret.

C'est dans cette douce confiance que Nous Nous adressons, chers Fils et Vénérables Frères, à vos âmes d'évêques et de pères pour porter à la grande famille française, aujourd'hui plus que jamais serrée autour de ses Pasteurs, Notre parole de réconfort dans la lumière de ce Dieu qui n'humilie jamais ses enfants si ce n'est pour les redresser dans sa justice et les rendre dignes de Lui.

Tandis que Notre cœur s'ouvre à la plus grande pitié pour tous ces chers Fils de France et que Nous les embrassons paternellement en Jésus-Christ, Nous envoyons à tous, — Pasteurs, prêtres et fidèles —, comme gage de Notre toute spéciale bienveillance, la Bénédiction Apostolique.

Du Vatican, en la fête de SS. Apôtres Pierre et Paul, le 29 Juin 1940.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssm̃us Dominus Noster Pius, divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore providere dignatus est, nimirum:

die 25 Maii 1940. — Cathedrali Ecclesiae Surigensi, noviter erectae, praefecit R. P. Ioannem Vrakking, e Congregatione Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu.

— Titulari episcopali Ecclesiae Goritanae R. P. Eliseum Van Weijer, Ordinis Fratrum Carmelitarum, quem constituit Praelatum Praelaturae *nullius* Paracatuensis, hactenus eiusdem Administratorem Apostolicum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Telmissensi R. D. Franciscum Beckmann, e Congregatione Missionis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Ioannis Maiztegui, Archiepiscopi Panamensis.

die 30 Maii 1940. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Achridensi R. D. Aemilium Guerry, Vicarium Generalem dioecesis Gratianopolitanae, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Ioannis Arthuri Chollet, Archiepiscopi Cameracensis.

die 8 Iunii 1940. — Cathedrali Ecclesiae Portus Gratiae R. D. Ioannem Michaëlem O'Neil.

die 15 Iunii 1940. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Oxyrynchitanae Exc. P. D. Raphaëlem Santi, hactenus Episcopum Feretranum.

die 1 Iulii 1940. — Ecclesiae Archiepiscopali Consentinae Exc. P. D. Aniellum Calcara, hactenus Archiepiscopum Compsanum et Episcopum S. Angeli de Lombardis et Bisaciensem.

— Cathedrali Ecclesiae Nucerinae et Tadinensi Exc. P. D. Dominicum Ettorre, hactenus Episcopum tit. Selensem.

— Cathedrali Ecclesiae Casalensi R. D. Iosephum Angrisani, vicarium paroecialem S. Mariae Gratiarum Augustae Taurinorum.

die 3 Iulii 1940. — Cathedrali Ecclesiae Alajuelensi R. D. Ioannem Vincentium Solís Fernandez, Vicarium Capitularem eiusdem dioecesis.

die 17 Iulii 1940. — Cathedrali Ecclesiae Tacambarensi R. D. Abraham Martinez, Vicarium Capitularem eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Huejutlensi R. D. Emmanuelem Yerena, Canonicum Capituli metropolitani Guadalajarensis.

die 20 Iulii 1940. — Cathedrali Ecclesiae Gallupiensi, noviter erectae, R. D. Bernardum Espelage, Ordinis Fratrum Minorum, parochum in oppido *Oldemburg* dioecesis Indianapolitanae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Zaraitanae R. D. Vincentium Kovacs, Canonicum Capituli cathedralis Vaciensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Stephani Hanauer, Episcopi eiusdem dioecesis.

die 23 Iulii 1940. — Cathedralibus Ecclesiis Satmariensi et Magnovaradinensi Latinorum R. P. Paulum Napholcz, S. I., Parochum in oppido *Monastur* dioecesis Cluj-Gherlensis.

die 26 Iulii 1940. — Cathedrali Ecclesiae Augustodunensi R. D. Lucianum Lebrun, professorem theologiae moralis in Seminario Senonensi.

— Cathedrali Ecclesiae Montis Albani R. D. Petrum Théas, professorem theologiae moralis in Seminario Baionensi.

die 27 Iulii 1940. — Cathedrali Ecclesiae Linarensi R. D. Franciscum Xaverium Valdivia, parochum S. Annae in civitate S. Iacobi in Chile.

die 1 Augusti 1940. — Cathedrali Ecclesiae Resistenciae, noviter erectae, Exc. P. D. Nicolaum de Carlo, hactenus Episcopum titularem Eleutheropolitanum in Palaestina.

— Cathedrali Ecclesiae S. Iacobi de Estero R. P. Iosephum Weimann, sodalem Congr. Ssmi Redemptoris.

II

DESIGNATIO ORDINARII PRO APPELLATIONE

Iuxta can. 1594 § 2 Codicis Iuris Canonici, Archiepiscopus Ssmae Conceptionis designavit pro appellatione in secunda instantia Tribunal Ordinarii S. Iacobi in Chile.

Quam designationem Sacra Congregatio Consistorialis die 2 Iulii 1940 adprobavit.

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

I

RESPONSUM

DE DIGNITATIBUS A PRAELATIS RITUS ORIENTALIS SACERDOTIBUS ALIENI RITUS CONCESSIS.

Cum quaesitum fuerit: « Utrum dignitates a Praelatis ritus orientalis sacerdotibus alieni ritus concessae, facultates secum ferant quae iisdem dignitatibus in ritu concedentis adnexae sunt; an tantum insignia honoris eis tribuant »;

Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali respondendum censuit: *negative ad primam partem; affirmative ad secundam,* dummodo tamen agatur de insignibus liturgicis deferendis in liturgicis caeremoniis ritus eiusdem concedentis et simul habeatur consensus, saltem praesumptus, Ordinarii loci.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 11 mensis Iunii a. 1940.

L. ✠ S.

Ioseph Cesarini, *Adsessor.*

II

DESIGNATIONES PRO APPELLATIONE

Vicarius Apostolicus Erythreae ac Praefecti Apostolici de Tigrai et de Gondar, quibus facta est potestas instituendi in urbe Asmara unicum tribunal primae instantiae, designaverunt pro appellatione tribunal Vicariatus Apostolici de Mogadisciu, in urbe Mogadisciu.

Praefectus vero Apostolicus de Dessié, cui facta est potestas instituendi tribunal primae instantiae in urbe Addis Abeba, designavit pro appellatione tribunal Vicariatus Apostolici Erythreae, in urbe Asmara.

Ordinarius pro Ruthenis Podocarpaticis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis quoad appellationem designavit tribunal Archidioecesis Philadelphiensis.

Quas designationes Ssmus D. N. Pius Pp. XII in Audientia diei 8 mensis Iunii a. 1940 approbavit.

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

NORMAE

PRO EXSEQUENDIS LITTERIS APOSTOLICIS « QUA CURA » DIE 8 DEC. 1938 MOTU PROPRIO DATIS.

Ut ad effectum deducantur quae per Litteras Apostolicas *Qua cura* die 8 decembris 1938 Motu Proprio datas n. IV decreta sunt (*A. A. S.*, vol. XXX, pp. 410 ss.), haec S. Congregatio quae sequuntur statuit.

CAPUT I

De tribunalis regionalis moderatore iudicibus et ministris

Art. 1. - Tribunal regionale subest auctoritati Archiepiscopi loci in quo ipsum sedem habet, qui, proinde, idem regit et moderatur nomine omnium Regionis Episcoporum, eidemque omnia iura et officia attribuuntur quae Ordinariis locorum, ad normam sacrorum canonum et *Instructionis* Sacrae huius Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 Augusti 1936 circa proprium tribunal competunt, nisi aliter infra cautum sit vel subiecta materia aperte exigat.

Art. 2. - Iudices et ministri tribunalis regionalis constituentur in Coetu Regionali Excmorum Ordinariorum Regionis, uti mandant memoratae Litterae Apostolicae Motu Proprio datae, sub n. III.

Art. 3. - Curandum erit ut electi non modo morum integritate praestent, et laurea vel saltem licentia in iure canonico sint praediti, sin minus scientia et experientia iuridica *vere* polleant, sed tempus quoque sufficiens impendere valeant muneribus sibi collatis rite obeundis.

Art. 4. - Nomina eorum qui electi sint ad munera officialis (necnon, si extent, vice-officialis vel vice-officialium), iudicum, promotoris iustitiae, defensoris vinculi (horumque, si adsint, substitutorum) cum Sacra hac Congregatione quamprimum ab Excmo Praeside Coetus Regionalis communicentur, una cum indicatione aetatis, studiorum, curriculi vitae necnon cum testimonio circa eorum sacerdotales virtutes, eam etiam ob causam ut Sacrae eidem Congregationi opportunitas praebeatur significandi utrum cuiusquam electorum nominationi aliquid obstet.

Art. 5. – Nominationes de quibus supra generatim ad triennium fiant, salva facultate eas confirmandi ad successiva triennia.

Art. 6. – Omnes qui tribunal regionale constituunt aut eidem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo coram Archiepiscopo sedis tribunalis regionalis, si agatur de officiali, si vero de aliis coram Ordinario eiusdem sedis vel coram iudice a quo electi sunt vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato praestare debent: idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agi ceperit si pro peculiari causa sint constituti, aut antequam suo munere fungi incipiant, si, causa pendente, suffecti sint ad normam art. 19 *Instructionis*.

Art. 7. – Officiales, iudices, promotores iustitiae et vinculi defensores (necnon, si adsint, eorum substituti, nisi per modum actus deputati sint) ab Archiepiscopo sedis tribunalis regionalis removeri non possunt, durante munere, nisi gravi de causa et habitis prius votis totius Regionis Episcoporum.

Art. 8. – Nemo iudicis munere in causa fungi poterit qui advocati vel procuratoris munus actu exerceat in causis matrimonialibus, sive directe sive per interpositam personam, quamvis id agat apud alia tribunalia etiam Sanctae Sedis: idem valet pro iustitiae promotore et pro vinculi defensore. Iidem omnes districte etiam vetantur in quaslibet causas matrimoniales extra munus suum se quomodolibet ingerere.

Art. 9. – Archiepiscopus sedis tribunalis regionalis, collatis consiliis cum ceteris Episcopis Regionis, album procuratorum et advocatorum pro tribunali conficiendum curet iuxta artt. 47-53 memoratae *Instructionis*.

Caput II

De modo procedendi in tractatione causarum matrimonialium

Art. 10. – Ut tuto procedatur in causis matrimonialibus apud tribunalia regionalia pertractandis, adamussim servetur *Instructio* supra memorata, his tantum additis aut immutatis quae infra adnotantur.

Art. 11. – Quoad competentiam tribunalis regionalis serventur normae artt. 1-12 praefatae *Instructionis*, attento quod tribunal regionale, relate ad matrimoniales causas, est commune pro dioecesibus Regionis simulque est proprium singulae cuiusque dioecesis Regionis.

Art. 12. – Causae ita inscribantur: primum ponatur nomen tribunalis regionalis, dein dioecesis celebrati matrimonii vel partis conventae, postremo titulus causae, ex. gr. « *Tribunal Siculum-Messanen. Nul-*

litatis matrimonii (N. N.) » : quando autem causa ipsa agitatur in gradu appellationis, ita inscribatur : « *Tribunal Appellationis Neapolitanum-Messanen. Nullitatis matrimonii (N. N.)* ».

Art. 13. – Ad Episcopum domicilii coniugum spectat iudicium ferre de exsistentia adiunctorum, de quibus in artt. 38 § 2 et 39, b) *Instructionis;* quod tamen iudicium antequam ferat, opportune cum Archiepiscopo sedis Tribunalis regionalis aget.

Art. 14. – Archiepiscopi Sedis tribunalis regionalis erit tutorem aut curatorem admittere vel designare ad normam art. 78 *Instructionis*, collatis consiliis cum Ordinario partis conventae cui tutor vel curator constituendus est.

Art. 15. – In casibus exceptis de quibus in cann. 1990-1992, quaelibet petitio remittatur ad Archiepiscopum tribunalis regionalis qui, praehabito voto Episcopi domicilii coniugum, de eadem videat ad normam tit. XV *Instructionis* citatae. Officialis vero de quo in art. 228 *Instructionis* est officialis tribunalis regionalis.

Art. 16. – Vinculi defensor facile ne omittat appellationem, de qua in art. 229 *Instructionis,* interponere ad tribunal alterius instantiae, praesertim cum agatur de impedimentis a quibus dispensari solet.

Caput III

De honorariis iudicibus et tribunalium ministris assignandis

Art. 17. – Iudicum et ministrorum tribunalis stipendia seu remunerationes et honoraria Excmi Ordinarii determinent in Coetibus Regionalibus, prae oculis habitis adiunctis Regionis et praesertim causarum agendarum numero : adeo ut iidem congrua mercede, adaequata operi revera tribunali impenso, donentur.

Art. 18. – Eadem emolumenta generatim moderata esse debent, attento etiam quod iudices et ministri tribunalis iam aliquo ecclesiastico beneficio provisi plerumque sunt : at simul sufficientia sint ipsa emolumenta ne iidem impediantur a servitio tribunali assidue praestando ex necessitate aliunde subsidia vitae quaeritandi.

Art. 19. – Excmi Ordinarii in Coetibus Regionalibus statuent (si id sibi videatur necessarium) contributionem singularum dioecesium Regionis pro expensis tribunalis regionalis, proportionatam numero causarum singularum dioecesium.

Caput IV

De taxis et expensis iudicialibus necnon de retributione procuratorum et advocatorum

Art. 20. – Excmi Ordinarii in Coetibus Regionalibus, probe consideratis locorum et temporum adiunctis, approbent notulam taxarum et expensarum iudicialium necnon emolumentorum ad procuratores et advocatos spectantium pro causis in tribunali regionali pertractandis; quae emolumenta, uti par est, distabunt a procuratorum et advocatorum proventibus in tribunali S. R. Rotae vigentibus (*A. A. S.*, vol. XXXI, pp. 662-625).

Art. 21. – Notula expensarum et emolumentorum, de qua in praecedenti articulo, notificetur omnibus litigantibus; Excmi Ordinarii autem et tribunalia prae oculis sedulo habeant praescripta art. 54 *Instructionis*.

Normae temporariae seu transitoriae

Quae supra statuta sunt necnon integrae Litterae Apostolicae *Qua cura* die 8 Decembris 1938 Motu Proprio datae exsecutioni mandentur trigesimo die postquam praesentes *Normae* per *Acta Ap. Sedis* publicatae erunt.

Nominationes iudicum et ministrorum tribunalium regionalium cum S. hac Congregatione iampridem communicatae, contra quas eadem exceptiones non moverit, probatae habentur.

Quoad causas quae dicta die pendentes in prima instantia inveniantur in tribunalibus dioecesanis, ita procedatur:

1) Si libellus iam oblatus est, nec adhuc ad litis contestationem seu dubiorum concordantiam (c. 1727 Cod. I. C., art. 88 *Instructionis*) deventum sit, libellus ipse transmittatur ad competens tribunal regionale, neque de causa ulterius agat tribunal dioecesanum.

2) Si instructio processus sit tantum initiata et partes, necnon vinculi defensor et, si causae intersit, promotor iustitiae, non obstent, processus deferri potest ad tribunal regionale.

3) Causa iam conclusa (art. 177 *Instructionis*), tribunal dioecesanum sententiam definitivam edat necesse est.

4) Idem fiat, mutatis mutandis, in causis quae agitantur in gradu appellationis.

5) A sententia tribunalis dioecesani, si quidem fuit primi gradus, appellatio interponatur apud tribunal appellationis quod esset competens si eadem sententia lata fuisset a tribunali regionali primae instantiae.

Si fuerit secundi gradus, applicentur praescripta communia de quibus in artt. 212-222 *Instructionis*.

Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XII, in Audientia Excmo huius Sacrae Congregationis Secretario die 5 Iulii 1940 concessa, praefatas *Normas*, ab EE. PP. in plenariis Comitiis diei 28 Maii anni eiusdem probatas, benigne confirmare et ratas habere dignatus est.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 10, mense Iulio, anno 1940.

D. Card. Jorio, *Praefectus*.

F. Bracci, *Secretarius*.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

PROVISIO ECCLESIARUM

Singulis, ut infra, datis decretis Sacri Consilii Christiano Nomini propagando, Ssmus Dñus Noster Pius div. Prov. Pp. XII dignatus est sequentes providere Ecclesias, nimirum:

die 28 Maii 1940. — Titulari episcopali Ecclesiae Halicarnassensi praefecit R. P. Carolum Gulielmum Quinn, Congregationis Missionis presbyterum, quem constituit Vicarium Apostolicum de Yukiang.

— Titulari episcopali Ecclesiae Marcianensi R. D. Ioannem M. Phung, e clero saeculari indosinensi, quem constituit Coadiutorem cum futura successione Exc. P. D. Ioannis Baptistae Tong, Vicarii Apostolici de Phat-Diem.

die 26 Iunii 1940. — Archiepiscopali Ecclesiae Dyrrachiensi Exc. P. D. Nicolaum Vincentium Prennushi, hactenus Episcopum Sappensem.

— Episcopali Ecclesiae Sappensi R. D. Georgium Volaj, Archidioeceseos Scodrensis presbyterum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Adramyttenae R. P. Ioseph Trocellier, Congregationis Oblatorum B. M. V. Immaculate sodalem, quem constituit Coadiutorem Exc. P. D. Gabrielis Breynat, Vicarii Apostolici de Mackenzie.

die 9 Iulii 1940. — Titulari episcopali Ecclesiae Adrasenae R. P. Henricum Thünemann, Instituti Oblatorum S. Francisci Salesii presbyterum, quem constituit Vicarium Apostolicum de Keimoes.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

GURCEN.

CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI BEATAE HEMMAE, COMITISSAE ET VIDUAE, SANCTAE NUNCUPATAE, FUNDATRICI ECCLESIAE GURCENSIS.

SUPER DUBIO

An constet de casu ab Urbani VIII decretis excepto

Thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur (Matth., 6, 20).

Hoc divinum Sancti Evangelii monitum sapientissime Sancta Hemma, Comitissa Gurcensis, est executa. Opibus abundans superbe non sapiit, nec in incerto divitiarum speravit, sed in Deo vivo, qui nobis praestat omnia abundanter ad fruendum. Divitiis quidem temporalibus affluebat, sed magis operibus bonis; ideoque illas facile tribuit communicavitque, illis usa ut Deum in muneribus adoraret, secura eas posuit ubi semper invenire potuisset.

Haud multa de eius vita sunt nota; quae vero ad nostra usque tempora pervenerunt, satis superque comprobant quomodo sapienti quodammodo instinctu Gurcensis plebs, finitimarumque regionum, Hemmam cultu sanctis debito sit prosequuta.

Ex nobili prosapia comitum de Friesach et Zeltsbach in Carinthia, altero saeculi decimi dimidio Hemma est orta. Gulielmo Comiti de Sanngau nupsit, quo ante a. 1016 viduata est. Viginti autem post annos cum eius filius, Gulielmus pariter nomine, in bello fuisset necatus, Hemma totius ampli principatus clavum copiosissimasque divitias hereditario iure suscepit; quas largiter in populi Ecclesiaeque bonum impendit. Porro, Salisburgensi Archiepiscopo approbante, novem parochiales extruxit dotavitque ecclesias. In oppido Gurk pro monialibus Ordinis S. Benedicti monasterium cum Ecclesia fundavit reditibusque munifice auxit. Aliud similiter pro Monachis in valle Admontensi erigi ab Archiepiscopo curavit. Die 29 Iunii a. D. 1045, ut traditur, supremum diem obiit sepultaque est in Gurcensi Ecclesia a se condita. Anno 1174 dum nova Cathedralis Ecclesia Gurcen. aedificaretur, corpus Hemmae in

amplissimam ac nobilissimam cryptam iam absolutam translatum atque honorifice conditum fuit.

Saeculo decimotertio indubia cultus signa ei tribui coeperunt frequentesque ad eius sepulcrum facti sunt populorum concursus, multaque miracula ad eius invocationem Dominus traditur patrasse, quae in fere coaevo documento referuntur. Sequenti saeculo liturgicum officium in eius honorem fuit conscriptum. Eidem circiter tempori lectiones pro chorali recitatione sunt assignandae; quod certo probat liturgicum cultum Hemmae saltem a decimoquarto saeculo fuisse exhibitum. Nec Missae in eius honorem celebratio eodem tempore defuit, ac Serva Dei Sancta nuncupari coepit.

Quae omnia cultus testimonia, sequentibus saeculis magis in dies manifesta fiunt. Succrescente itaque miraculorum fama populique devotione, de Canonizationis processu conficiendo, saeculo decimoquinto ineunte, cogitari coeptum est; anno vero 1466 Summo Pontifici Paulo secundo Fridericus III, imperator, Carinthiaeque nobiles viri preces exhibuerunt ut Processus apostolicus institueretur. Pontifex, his precibus acceptis, trium Cardinalium Commissionem nominavit, qui rursus quatuor ecclesiasticos viros subdelegatos ad id munus constituerunt, Episcopos nempe Seccoviensem et Laibacensem nec non abbates S. Lamberti et Victoriensem. Processus anno sequenti absolutus atque ad Urbem ad Paulum II delatus quidem fuit, sed politicae perturbationes impediverunt quominus ad ulteriora procederetur. Anno 1724 Gurcensis Episcopus rem instaurare molitus est; Prosper Lambertini, Fidei Promotor, qui postea sub Benedicti XIV nomine universae Ecclesiae regimen gloriose tenuit, Sacrae Rituum Congregationis auctoritate nonnullas tradidit normas ut Causa rite resumeretur; hi tamen conatus variis de causis in cassum cesserunt.

Magis magisque interim cultus erga B. Hemmam percrebuit; sollemnissimae saeculares celebrationes, a. 1745, habitae fuere, liturgicum Festum cum officio et Missa, quod iamdiu in Gurcen. Dioecesi celebrabatur, ad alias fuit Pontificia auctoritate, non multis abhinc annis, extensum, eiusque ritus auctus. Novissimis hisce annis plurima collecta sunt documenta ut cultus, quo Beata seu Sancta Hemma ab immemorabili tempore fruebatur, rite ab Apostolica Sede formaliter confirmaretur. Sacrae huius Congregationis Sectioni historicae munus documenta ad hanc Causam spectantia et diligenter conquirendi atque ad trutinam revocandi fuit concreditum: quod, ea qua solet sedulitate ac sagacitate, ad criticae artis normam ab ipsa perfectum est.

Plures interim Summo Pontifici Postulatoriae epistulae Archiepisco-

porum, Episcoporum plurimorumque aliorum insignium virorum sunt porrectae. Quapropter in Ordinariis sacrorum Rituum Congregationis Comitiis hesterna die habitis, Emus ac Revmus D. Cardinalis Raphaël Carolus Rossi, Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit discutiendum : *An constet de casu ab Urbani VIII decretis excepto.*

Emi ac Revmi Patres necnon Officiales Praelati responderunt : *Affirmative ;* quam sententiam, referente infrascripto Cardinali Praefecto, in audientia subsignata die habita, Ssmus D. N. Pius Papa XI ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae, die 5 Ianuarii a. D. 1938.

C. Card. Laurenti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

URBIS et ORBIS

FESTUM SANCTI IOANNIS LEONARDI, CONFESSORIS, AD UNIVERSAM ECCLESIAM EXTENDITUR, CUM OFFICIO ET MISSA SUB RITU DUPLICI MINORI CELEBRANDUM.

Quum per fundationem Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei, quorum apostolatus proprium est christianam doctrinam populos edocere, Sanctus Ioannes Leonardi, cuius opera Missiones a Propaganda Fide institutae sunt, erga Sedem Apostolicam et sanctam Ecclesiam eximia merita sibi comparaverit, nonnulli Patres Cardinales, pluresque sacrorum Antistites Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XII humiliter adprecati sunt, ut eiusdem Sancti Confessoris festum ab universo christifidelium coetu peragi posset. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Cardinali Praefecto, votis tot S. R. E. Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum libenter deferens, festum Sancti Ioannis Leonardi, Confessoris, ad universam Ecclesiam, sub ritu duplici minori, cum Officio et Missa huic decreto adiectis, die nona octobris celebrandum, extendere benigne dignata est, addita commemoratione festi Ss. Dionysii Ep. et Sociorum Martyrum, ad ritum simplicem redacti. Servatis de cetero Rubricis. Quibuscumque contrariis non obstantibus.

Die 3 Aprilis 1940.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praenestin., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

Die 9 Octobris

S. JOANNIS LEONARDI, CONFESSORIS

Duplex

In I Vesperis

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabiliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua famíliam congregásti: da nobis fámulis tuis, ita ejus institútis profícere; ut prǽmia consequámur æterna. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio IV

Joánnes Leonárdi, in óppido Décimi, non longe a Lucénsi urbe, piis et honéstis ortus paréntibus, jam inde a prima ætate, solitúdinis et precatiónis amóre, grave quiddam ac matúrum præsétulit. Annos natus vigínti sex a Deo vocátus ad ecclesiásticæ milítiæ nomen dandum, sæculáribus curis íllico núntium remísit. Ac primo inter púeros latínæ linguæ rudiméntis instrúctus, deínde in lítteris et philosóphicis ac theológicis disciplínis ádeo profécit, ut vix acto quadriénnio ad sacerdótium ex obediéntia promótus fuérit. Mox áliquot nactus bonæ índolis nóbiles júvenes, cum eos ad virtútis perfectiónem sédulo exercuísset, insequénti anno Congregatiónem instítuit Clericórum Regulárium, quam a Matre Dei, ob incénsum erga ipsam suæ devotiónis affóctum, nuncupávit. Horum cura et zelo tanta perácta est animórum commutátio, ut cum in Lucénsi república, hæreticórum præsértim perfidiósis ártibus, ardérent cívium ódia, profligatíque essent mores, brevi témpore primǽva Christianórum píetas ibidem revixísse viderétur.

℟. Honestum.

Lectio V

Tam salutárium óperum causa incídit Joánnes in acérrimas insectatiónes hóminum nequam, qui recens coáctam famíliam pérdere omni ope conáti sunt. Sed vir Dei, æquo ánimo libénter ómnia ferens, impetráta a Summo Pontífice Gregório decimotértio suæ Congregatiónis confirmatióne, apostólici sui labóris fructus constánter servávit. In árduis negótiis componéndis multi epíscopi eo consiliário et adjutóre usi sunt, et vel ipse Románus Póntifex eum delegávit ad intricáta litígia diriménda,

et ad religiósas famílias reformándas. Sancto Josépho Calasánctio, ejúsque pene collápsæ societáti, præsto fuit. Haud levem quoque impéndit óperam negótiis nosocomíi sancti Spíritus in Sáxia, et moniálibus oblátis sánctae Francíscæ Románæ excoléndis.

℟. Amavit.

Lectio VI

Gráviter dolens, gentes ádeo plúrimas remótis in regiónibus luce Evangélii carére, inflammabátur desidério migrándi in illas oras ad lumen veræ religiónis effundéndum. At cum intelléxisset a sancto Philíppo Nério, a quo verus reformátor dicebátur, se suámque Congregatiónem ad instituéndos Itáliæ pópulos destinári, divínæ acquiévit voluntáti; mínime tamen abstínuit quin, si áliquam infidélibus opem afférre posset, experirétur. Hinc ínitis consíliis cum piíssimo præsule Vives, cœtum instítuit presbyterórum, quibus propósitum esset idóneos informáre adolescéntes, in díssitas regiónes subínde mitténdos ad fidem propagándam. Quare mérito véluti auctor censétur præclaríssimi illíus institúti, quod summórum Pontíficum ópera amplificátum, proferéndae per univérsum orbem cathólicæ fídei mirabíliter insérvit. Plura ópera de re sacra et moráli conscrípsit, cuívis hóminum conditióni accommodatíssima. Dénique a sacro ministério numquam defíciens, in cínere et cilício ad Dóminum migrávit Romæ, die nona octóbris, anno millésimo sexcentésimo nono, ætátis sexagésimo sexto. Quem sanctitátis et miráculis illústrem Pius nonus Póntifex Máximus Beatórum fastis accénsuit. Pius vero undécimus, anno millésimo nongentésimo trigésimo octávo, die solémni Páschæ, inter Sanctos adscrípsit.

℟. Iste homo.

Lectio IX pro Ss. Dionysio, Ep., Rustico et Eleutherio Mm.

Dionýsius Athéniensis, unus ex Areopagítis judícibus, cum adhuc in gentilitátis erróre versarétur, eo die, quo Christus Dóminus Cruci affíxus est, solem præter natúram defecísse animadvértens, exclamásse tráditur : Aut Deus natúrae pátitur, aut mundi máchina dissólvitur. Cum autem Paulus Apóstolus in Areopágo Christum annuntiásset, Dionýsius fidem christiánam ampléxus, ab eódem Apóstolo Atheniénsium Ecclésiæ præféctus est. Póstea, ut tráditur, Romam véniens, et a Cleménte Pontífice missus in Gálliam, Lutétiam usque Parisiórum, cum Rústico præsbýtero et Eleuthério diácono, Evangélium prædicávit. Ibi omnes, quod Christum prædicárent a Fescénnio præfécto apprehénsi, váriis torméntis cruciántur, et demum secúri feriúntur séptimo idus octóbris.

Si hoc festum ad instar simplicis rediyatur, et de ipso nona lectio iuxta Rubricas sit dicenda, sumitur sequens:

Joánnes Leonárdi non longe a Lucénsi urbe ortus, a prima ætate grave quiddam ac matúrum præsetúlit. Annos natus vigínti sex a Deo vocátus ad ecclesiásticæ milítiæ nomen dandum, primum inter púeros latínæ linguæ rudiméntis instrúctus, in lítteris et philosóphicis ac theológicis disciplínis ádeo profécit ut vix acto quadriénnio ad sacerdótium ex obediéntia promótus fúerit. Congregatiónem instítuit Clericórum Regulárium a Matre Dei, quorum cura et zelo in Lucénsi república magna animórum commutátio perácta est. Hinc in acérrimas hóminum nequam insectatiónes incídit, sed, æquo ánimo ómnia libénter ferens, a Gregório decimotértio suæ Congregatiónis confirmatiónem impetrávit. Gráviter dolens gentes plúrimas remótis in regionibus luce Evangélica carére, consíliis ínitis cum piíssimo præsule Vives, cœtum instítuit presbyterórum, quibus propósitum esset idóneos informáre adolescéntes, in díssitas regiónes subínde mitténdos ad fidem propagándam. A sacro ministério numquam defíciens, in cínere et cilício ad Dóminum migrávit Romæ, die nona octóbris, anno millésimo sexcentésimo nono, et a Pio undécimo Sanctórum fastis adscríptus est.

MISSA

Introitus *Eccl. 42, 15-16*

In sermónibus Dómini ópera ejus: sol illúminans per ómnia respéxit, et glória Dómini plenum est opus eius. *Ps. 95, 1.* Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino, omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum, ad fidem in géntibus propagandam mirabíliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua famíliam congrégasti: da nobis fámulis tuis, ita ejus institútis profícere; ut prǽmia consequamur ætérna. Per Dóminum.

Commemoratio Ss. Dionysii, Ep., Rustici et Eleutherii Mm.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

2 Cor. 4, 1-6 et 15-18

Fratres: Habéntes administratiónem juxta quod misericórdiam consecúti sumus, non defícimus, sed abdicámus occúlta dedécoris, non am-

bulántes in astútia, neque adulteránte verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo. Quod si étiam opértum est Evangélium nostrum : in iis, qui péreunt, est opértum : in quibus Deus hújus sæculi excæcávit mentes infidélium, ut non fúlgeat illis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum : nos autem servos vestros per Jesum : quóniam Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritatis Dei, in fácie Christi Jesu. Omnia enim propter vos : ut grátia abúndans, per multos in gratiárum actióne, abúndet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus : sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpátur : tamen is, qui intus est, renovátur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. Quæ enim vidéntur, temporália sunt : quæ autem non vidéntur, ætérna sunt.

Graduale. Ps. 72, 21; 68, 10. Inflammátum est cor meum, et renes mei commutati sunt : zelus domus tuæ comédit me.

℣. *Isai. 49, 2.* Pósuit os meum quasi gládium acútum : in umbra manus suæ protéxit me, et pósuit me sicut sagíttam eléctam.

Allelúja, allelúja, ℣. *Ps. 70, 7.* Tamquam prodígium factus sum multis : et tu adiútor fortis. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et versu sequenti, dicitur* :

Tractus. Ps. 54, 3-4 et 17. Contristátus sum in exercitatióne mea : et conturbátus sum a voce inimíci, et a tribulatióne peccatóris. ℣. Quóniam declinavérunt in me iniquitátes : et in ira molésti erant mihi. ℣. Ego autem ad Deum clamávi : et Dóminus salvábit me.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. *Ps. 51, 10.* Sicut olíva fructífera in domo Dei, sperávi in misericórdia Dei in ætérnum : et in sæculum sæculi. Allelúja. ℣. *Ps. 61, 8.* In Deo salutáre meum, et gloria mea : Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam

Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quae apponúntur vobis: et curáte infírmos qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Col. 1, 25. Christi factus sum ego miníster secúndum dispensatiónem Dei, quae data est mihi, ut ímpleam verbum Dómini.

Secreta

Súscipe, Dómine, oblatiónem mundam salutáris hóstiæ: et præsta: ut, intercedénte béato Joánne Confessóre tuo, ubíque géntium júgiter offerátur. Per Dóminum.

Communio Philipp. 3, 7. Quae mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta.

Postcommunio

Pretiósi córporis, et sánguinis tui sacris refécti mystériis, Dómine, adprecámur: ut beáti Joánnis Confessóris tui exémplo, studeámus confíteri quod crédidit, et ópere exercére quod dócuit: Qui vivis.

IN MARTYROLOGIO ROMANO, I LOCO

Romae, Sancti Joannis Leonardi Confessoris, fundatoris Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei, laboribus et miraculis clari; cuius opera Missiones a Propaganda Fide institutae sunt.

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

ROMANA ET ALIARUM

RESPONSA DE COMPETENTIA

Cum praesertim Motu proprio *Qua cura*, a fel. rec. Pio XI die 8 Decembris 1938 evulgato, nonnulla exorta sint dubia circa fines competentiae Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum in causis de nullitate matrimonii, eadem Sacra Congregatio ut hac de re controversia ex auctoritate dirimeretur a Ssmo Domino nostro Pio Pp. XII suppliciter postulavit.

Quas preces benigne excipiens, Sanctitas Sua hanc Pontificiam Commissionem ad Codicis canones authentice interpretandos, ad normam canonis 245, designare dignata est ad ipsam controversiam dirimendam.

Quare Emi Patres huius Pontificiae Commissionis in plenariis comitiis diei 4 Iulii 1940, in Aedibus Vaticanis habitis, examini subiecerunt ea quae sequuntur dubia:

I. – An Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum competat generalis et praeeminens iurisdictio in causis nullitatis matrimonii, ita ut eas ad se avocare, vel earum cursum aut sententiarum in iisdem latarum exsecutionem suspendere valeat.

Et quatenus negative:

II. – Quaenam iura eidem Sacrae Congregationi competant in causis nullitatis matrimonii.

III. – An in causis nullitatis matrimonii promotor iustitiae et defensor vinculi habendi sint ut delegati vulgo *rappresentanti* Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, ita ut haec eorum partes moderari valeat.

Et quatenus negative:

IV. – An et quomodo eadem Sacra Congregatio in casu denuntiationis nullitatis matrimonii, de qua in canone 1971 § 2, sese ingerere possit in iis quae praecedunt accusationem nullitatis matrimonii.

Porro iidem Emi Patres ad proposita dubia responderunt:

Ad I. Negative.

Ad II. Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum in causis nullitatis matrimonii competere:

a) ius dirimendi quaestiones de validitate matrimonii, quae ad eam deferantur, dummodo eaedem accuratiorem disquisitionem aut investigationem non exigant, ad normam canonis 249 § 3;

b) ius definiendi quaestiones de competentia iudicis ratione quasi-domicilii iuxta Instructionem eiusdem Sacrae Congregationis diei 23 Decembris 1929;

c) iura, de quibus in Litteris circularibus ipsius Sacrae Congregationis diei 1 Iulii 1932, *de relatione causarum matrimonialium quotannis eidem Sacrae Congregationi mittenda;* necnon iura, de quibus in numeris IV et V Motu proprio *Qua cura* Pii Pp. XI diei 8 Decembris 1938, *de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Italiae pro causis nullitatis matrimonii decidendis.*

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative, salvo, re adhuc integra, recursu adversus Ordinarii iudicium.

Quas responsiones Ssmus Dominus noster Pius Pp. XII in audientia diei 7 eiusdem mensis Iulii, subscripto Secretario concessa, benigne approbare et confirmare dignatus est.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 8 mensis Iulii, anno 1940.

Card. M. Massimi, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 9 luglio 1940, nel Palazzo Apostolico Vaticano, all'Augusta presenza del S. Padre, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *generale,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno dato il loro voto sulla eroicità delle Virtù del Ven. Servo di Dio Giovanni Battista di S. Michele Arcangelo, sacerdote professo della Congregazione dei Chierici Scalzi della Ss. Croce e Passione di N. S. Gesù Cristo.

Martedì, 23 luglio 1940, nel Palazzo delle Congregazioni a San Callisto, presso l'Emo e Revmo Signor Cardinale Raffaele Carlo Rossi, Ponente della Causa di canonizzazione del Beato Ludovico Maria Grignion di Montfort, Confessore, fondatore della Società di Maria e dell'Istituto delle Figlie della Sapienza, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *antepreparatoria,* con l'intervento dei Revmi Prelati Officiali e Consultori teologi, per discutere su due miracoli che si asseriscono da Dio operati ad intercessione del predetto Beato.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

30 maggio 1940. Il Revmo P. Giacomo Maria Vostè, dell'Ordine dei Predicatori, *Consultore della Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.*

20 luglio » Il Revmo Canonico Giustino Boson e i Revmi Padri Bonaventura Ubach, O. S. B., Maria Abel e Carlo Girolamo Callan, ambedue dell'Ordine dei Frati Predicatori, Giuseppe Huby, S. I., e Alessio Médebielle, dei Preti del S. Cuore di Gesù di Bétharram, *Consultori della Commissione Pontificia per gli Studi Biblici.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, di f. m., si degnò nominare:

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

15 giugno 1938. Monsig. Giovanni Battista Pauly, dell'archidiocesi di Praga.
» » » Monsig. Ambrogio Lazik, dell'Amministrazione Apostolica di Tirnavia.
23 dicembre » Monsig. Giacomo Herr, della diocesi di Limburgo.

Prelati Domestici di Sua Santità:

28 maggio 1938. Monsig. Federico Vašek, dell'archidiocesi di Olomuc.
15 settembre » Monsig. Carlo Krenn, della diocesi di Secovia.
» » » Monsig. Giulio Giuseppe Herkenne, della diocesi di Aquisgrana.
12 novembre » Monsig. Paolo Simon, dell'archidiocesi di Paderborn.
26 » » Monsig. Enrico Fendel, della diocesi di Limburgo.
23 dicembre » Monsig. Francesco Monse, dell'archidiocesi di Praga.
27 » » Monsig. Arturo Day, della diocesi di Spira.
» » » Monsig. Francesco Eichenlaub, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Schoeder, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Albano Hass, della medesima diocesi.
28 » » Monsig. Andrea Bigelmair, della diocesi di Wurzsburg.
» » » Monsig. Giovanni Strubel, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Francesco Werthmann, della medesima diocesi.
7 gennaio 1939. Monsig. Massimiliano Weishaupt, della diocesi di Augusta.
» » » Monsig. Roberto Guenther, della diocesi di Fulda.
15 » » Monsig. Francesco Tennie, della diocesi di Aquisgrana.
» » » Monsig. Antonio Federico Ermanno Muessener, della medesima diocesi.

Con Brevi Apostolici il S. Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

12 gennaio 1940. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Carlo Kašpar, *Protettore dell'Istituto delle Suore della Misericordia di S. Carlo* (Praga).
1 maggio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Vincenzo La Puma, *Protettore della «Congregación de los Angeles Custodios»* (Diocesi di Vittoria).
6 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Camillo Caccia Dominioni, *Protettore dell'Istituto delle Suore di San Paolo* (Milano).

24 maggio 1940. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Giuseppe Pizzardo, *Protettore dell'Ordine della S. Croce, o dei Crocigeri.*

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Lorenzo Lauri, *Protettore delle Suore Domenicane del Perpetuo Rosario* (diocesi di Camden, N. J.).

25 giugno » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Raffaele Carlo Rossi, *Protettore dei Missionari del Sacro Cuore di Gesù* (Roma).

10 luglio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Federico Tedeschini, *Protettore dell'Istituto delle Figlie di San Camillo* (Roma).

11 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Carlo Salotti, *Protettore della Congregazione delle Suore Francescane della Misericordia* (Lussemburgo).

16 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Nicola Canali, *Patrono, ossia Protettore dell'Ordine Equestre del S. Sepolcro di Gerusalemme e dell'annessa Opera della Preservazione della Fede nei Luoghi Santi.*

Assistenti al Soglio Pontificio:

1 febbraio 1940. S. E. Revma Monsig. Cleto Vincenzo Pejov, Vescovo tit. di Lirbe, Vicario Apostolico di Sofia e Filippopoli.

1 maggio » S. E. Revma Monsig. Damiano Giovanni Theelen, Vescovo di Nicopoli.

14 » » S. E. Revma Monsig. Leopoldo Eijo y Garay, Vescovo di Madrid e Alcalà.

20 giugno » S. E. Revma Monsig. Leone Classe, Vescovo tit. di Massula, Vicario Apostolico di Ruanda.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

29 aprile 1939. Monsig. Bernardo Lichtenberg, della diocesi di Berlino.

17 maggio 1940. Monsig. Edoardo Lintico Buckey, dell'archidiocesi di Baltimora e Washington.

22 » » Monsig. Giuseppe Cattaneo, dell'archidiocesi di Napoli.

24 » » Monsig. Giusto Buttignoni, della diocesi di Trieste.

5 giugno » Monsig. Giuseppe P. Donahue, dell'archidiocesi di New York.

» » » Monsig. Roberto F. Keegan, della medesima archidiocesi.

» » » Monsig. Arturo Raine Freeman, della diocesi di Raleigh.

8 giugno 1940. Monsig. Ernesto Piani, della diocesi di Città di Castello.
20 » » Monsig. Giuseppe De Castro, della diocesi di Braganza.
9 luglio » Monsig. Ludovico J. Reicher, della diocesi di Galveston.

Prelati Domestici di Sua Santità:

23 aprile 1939. Monsig. Giovanni Stigler, della diocesi di Eichstatt.
29 » » Monsig. Paolo Weber, della diocesi di Berlino.
» » » Monsig. Giorgio Banasch, della medesima diocesi.
4 maggio » Monsig. Paolo Giovanni Augusto Kretschmer, della diocesi di Misnia.
30 » » Monsig. Agostino Scwierk, dell'archidiocesi di Breslavia.
» » » Monsig. Giuseppe Jaglo, della medesima archidiocesi.
14 novembre » Monsig. Licerio Barnachea, della diocesi di Lingayen.
28 febbraio 1940. Monsig. Giovanni Cicconi, dell'archidiocesi di Fermo.
» » » Monsig. Antonio Boni, della diocesi di Mantova.
18 marzo » Monsig. Giuseppe J. Anaya, dell'archidiocesi di Messico.
14 aprile » Monsig. Emerico Tanos, della diocesi di Cleveland.
» » » Monsig. Giovanni J. Davidson, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuseppe M. Trapp, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Stefano G. Kocis, della medesima diocesi.
3 maggio » Monsig. Gerardo Chirichella, della diocesi di Campagna.
» » » Monsig. Giovanni Genco, della Prelatura di Altamura e Acquaviva delle Fonti.
» » » Monsig. Edoardo Gilardi, dell'archidiocesi di Milano.
4 » » Monsig. Enrico H. Buse, dell'archidiocesi di Cincinnati.
» » » Monsig. Pietro Stefano Huegel, della diocesi di Harrisburg.
17 » » Monsig. Giovanni R. Hackett, della diocesi di Lansing.
20 » » Monsig. Pietro Montanari, della diocesi di Terni.
22 » » Monsig. Raffaele Cozzolino, dell'archidiocesi di Napoli.
» » » Monsig. Michele Croce, della diocesi di Bovino.
24 » » Monsig. Raffaele Riccardi, dell'archidiocesi di Capua.
» » » Monsig. Salvatore Merola, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Antonino Caravella, della diocesi di Lipari.
29 » » Monsig. Giuseppe Carneiro da Cunha, della diocesi di Sobral.
1 giugno » Monsig. Giuseppe Matocha, dell'archidiocesi di Olomuc.
2 » » Monsig. Arcangelo Maglione, dell'archidiocesi di Napoli.
4 » » Monsig. Michele A. Irwin, della diocesi di Raleigh.
5 » » Monsig. Guglielmo A. Ruel, della diocesi di Salt Lake.
8 » » Monsig. Ludovico Luigi Tautu, della diocesi di Oradea Mare.

13 giugno 1940. Monsig. Giovanni Battista Merisio, della diocesi di Bergamo.

28 » » Monsig. Edoardo Mungovan, della diocesi di Fort Wayne.

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

9 marzo 1939. Monsig. Nicola Beresztoczy, dell'archidiocesi di Strigonia.
» » » Monsig. Federico Hardinghaus, della diocesi di Osnabrück.
10 » » Monsig. Giulio Polak, dell'amministrazione apostolica di Burgenland.
» » » Monsig. Francesco Haider, dell'archidiocesi di Vienna.
» » » Monsig. Andrea Huber, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Leopoldo Metzger, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Enrico Noltsch, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Schimka, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Vittore Schmidt, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Carlo Weczerzik, della medesima archidiocesi.
30 » » Monsig. Giovanni Reitnajer, della diocesi di Jassi.
» » » Monsig. Gregorio Enariu, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Demetrio Romila, della medesima diocesi.
